

Dissertatio medica, inauguralis, de ascite abdominali : quam, ... pro gradu doctoris, ... / eruditorum examini subjicit Gulielmus Spooner, A.M. civis Bostoniensis Americanus.

Contributors

Spooner, Gulielmus, 1760-1836.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hghhdxkr>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library, where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ASCITE ABDOMINALI.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

7
DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
ASCITE ABDOMINALI.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS SPOONER, A. M.

CIVIS BOSTONIENSIS AMERICANUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Sod.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit Venis, et aquosus albo
Corpore languor.

HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora loquoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

Mr Jeffery
with best Comps
from
The Author

Vir o amplissimo

JACOBO BOWDOIN,

ARMIGERO,

L. L. D.

Academiae scientiarum Americanae

Praefidi ;

Rerum civilium

Peritia,

Atque philosophiae

Scientia,

Pariter spectando :

Cujus

Vitae integritas

Omnium reverentiam ;

Cujus

Morum suavitas

Omnium amorem,

Conciliat ;

Qui,

Libero jubente populo,

Ad summum Reipublicae Massachusettensis,

Ejus virtute praestantissima

Praemium haud indignum,

Domi militiaeque imperium

Nuper evectus est :

Viro amplissimo

JACOBO BOWDOIN,

ARMIGERO,

L. L. D.

Academice Scientiarum Americanae

Præsidi;

Reverentissimi

Patris,

Atque philosophiae

Scientiae,

Patris Illustrissimi;

Cujus

Vires integritas

Quintum reversionis;

Cujus

Mentis luculentas

Quintum reversionis;

Quintum;

Qui

Libere scientiae populo;

Academice Scientiarum Americanae

Patris Reverentissimi

Patris Illustrissimi

Patris Reverentissimi

Patris Reverentissimi

Nec non

Viro doctissimo, peritissimo,

SAMUELI DANFORTH;

Qui,

Rem medicam

Multos annos,

Non minus fauste quam diligenter,

Bostoniae exercuit ;

A quo,

Quam plurima accepit beneficia,

Cum domo ejus

Atque familiaritate

Triennium usus est ;

Ea observantia,

Eoque, quo decet, animo grato,

Hoc opusculum

Offert

GULIELMUS SPOONER.

SAMUEL DANFORTH;

Viro doctissimo, peritissimo,

Nec non

Quis

Rem medicum

Multos annos,

Non minus facile quam diligenter,

E R R A T A.

Pag.	10.	l.	18.	<i>pro</i> est potus	<i>lege</i>	sunt poti
	14.		14.	octagies		octogies
	19.		7.	qui		quae
	—		14.	positurum		positarum
	21.		17.	fitem		fitim
	30.		11.	proxyma		proxima
	31.		13.	praecipitum		praescriptum

Adque facilitate

Tuamque est;

La obsequia,

Legat, quo deo, animo grato,

Hoc opusculum

Omne

GULIELMUS SPOONER.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ASCITE ABDOMINALI.

PAUCA de Ascite Abdominali, definitione
celeberrimi Culleni sumpta, differere volo.

“ Ascites (abdominalis) cum tumore totius
“ abdominis aequali, et cum fluctuatione satis
“ evidente. * ”

A HISTO-

* Ill. Cullen Synopf. Nosol. edit. quart. Ed. 1785.

HISTORIA MORBI.

Per cadavera incisa, nos compertum habemus copiam aquae haud ita parvam in abdominis cavo, sine ulla injuria, latere posse; cujus cum copia morbum induxerit, haec plerumque praecedunt indicia, vultus pallidus, nulla cibi appetentia, sitis, cutis arida, urina parca, alvus adstricta. Non semper haec omnia indicia adfunt; neque in omnes eadem vi, sed in alios, eisdemque alias, alia saeviunt. Aegrotum supinum levis dyspnoea aggreditur, in partibus inferioribus extremisque corporis, tumor nonnunquam percipitur parvus, et mane saepe levior evadens; qui nunc abdominis partem inferiorem etiam occupat; quo latere incumbitur, grave videtur tensumque. Cibi appetentia multum aegrotominuitur, cui accedit ventriculi inflatio, omneque, quod cibum male concoctum, indicat. Sitis intolerabilis, “ Quo plus est potus, plus fitiuntur aquae,” nec urina potus ratione redditur. Urina vulgo, incipiente morbo, coloris est

est naturalis, rubrum deinde induit colorem, et furfuraceo-lateritium sedimentum deponit. Pulsus primo haud multum mutatus, paulatim fit debilior frequentiorque. Prout distenditur abdomen, omnia haec jam memorata indicia ingravescunt; dolores acerrimi, huc illuc vagantes, in regionem hypogastricam irruunt; supinus in periculum summum venit, ne spiritus intercludatur, igiturque se habere erectum cogitur; somnus quem valde desiderat, et quo breve tantum fruitur, insincerus est, nec illum reficit; quinetiam, postquam experrectus est, sese lassum sentit. Eo magis corpus conficitur macie, quo major est effusio; inertia atque languor totum occupant corpus; nunc tussis sicca, una cum pulsu frequenti, parvo, intermittente, nunc demum coma vel animi deliquium, quod plerumque finem aerumnarum omnium misero adfert, invadunt. Sunt quibus haec mala diu, et non admodum molesta, manent; et saepe haud prius in exitium vertunt, quam alius his accesserit morbus; alios paucis absumunt mensibus.

DIAG-

D I A G N O S I S.

Cavendum est ne hunc morbum cum multis aliis in regione abdominali viscerum affectibus confundamus; summamque adhibendum est diligentiam, ut propria dignoscamus indicia. Cum copia aquae in ascite parva est, aegrotus ipse, se usque quaque movendo, saepius percipere poterit; tumor prope os pubis primo oritur, qui se per totum abdomen paullatim extendit. Quum primo indicio parum credere possumus, altera manu ad latus alterum aegroti, se erectum vel pronum habentis, admota, altera adversum latus feriamus; quo modo parvam, si adsit, copiam aquae sentire possimus. Interdum hic morbus ab hydrope faccato, si magni sunt facci, distinguere non potest; toto enim abdomine aequabiliter distento, post cadaver incisum, aqua in quatuor vel quinque faccis fuit reperta. His autem signis hic ab illo morbo fere semper dignoscendus. In hydrope faccato, qui oritur tumor, magis inaequabilis, magisque constans; ejus figura, corpore diverse posito,

sito, haud multum omnino mutatur; extremae corporis partes lente quidem, sed non ante tumescunt, quam morbus multum processerit; omnes corporis functiones ad sua quaeque munera obeunda, plurimos in annos, fatis valent; nil incommodi, nisi quod adfert corpus grave, est aegroto. In Actis Philosophicis haec de quadam muliere, cui nomen erat Sarah Kippus, narrantur. Cum annum aetatis vicesimum septimum ageret, haud multo post abortum, alterum ejus latus tumor occupavit. Non ita multo post, eo sese extenderat tumor, ut in utro latere major esset, haud discerneres. Aqua, quae tumorem induxisse, apparebat, emissa fuit, anno nempe Domini 1757. Nunquam postea facta fuit gravida; sed fluxus menstrui justum usque exitum manarunt. Non illam ante visit Dom. Martineau chirurgus, quam humor hydropicus saepe emissus fuerat, et quo primum vidit tempore, anno scilicet 1780, aquae plena erat. Statura erat solito minor, verum abdomine adeo ingenti, ut vix quidem aliud aspicere posses; minime autem vultu demisso; raro ab operatione abhorrebat. Cum jam in eo esset, ut aqua centum sex sextariorum quantitate esset emittenda, Dom. Martineau illam metiendam curavit. Erat

rat in circuitu pollices sexaginta septem et dimidium; ex cartilagine ensiformi ad os pubis triginta quatuor pollices. Crura nunc valde intumuerunt; hujus autem, omnisque, quo laborabat, mali, aquae copia pondusque, sine dubio, erant causa. Modico cibo potuque utebatur; urinam parce reddebat. Operatio, die Sabbati, plerumque facta fuit, et non multum processit hebdomada prius, quam ad fatis commode ambulandum vires ejus sufficerent. Humor hydropicus illi primum anno 1757 emissus, vitaeque, anno 1783, mense Augusti, functa est. Ita annos viginti quinque, doloris nonnunquam expers, complevit; operationem octagies perpeffa, qua aquae sex millia sexcenta triginta unum sextariorum, vel amplius quam tredecim dolia, erant emissa. Cadavere inciso, uterus et ovarium dextrum integra reperta erant; sed ovarium sinistrum in faccum ingentem auctum. Saccus non percallofus; sed in omni, praecipueque in parte anteriore, parvis coopertus ossificationibus; peritoneum, modo pene incredibili, callosum, reliquis visceribus nihil erat praeter naturam*.

Quae

*Qui hanc rem fusius voluerit expositam, adeat Acta Philosophica anno 1784, pag. 471.

Quae graviditatem semper comitantur, nausea, vomitus, fluxus menstrui impediti, illam ab ascite bene discernunt, et haec insuper alia; in graviditate mammae firmae, in ascite admodum laxae; in illa tumor magis superne quam in hac, et prorsus supra os pubis ortus, minus diffunditur.

Discrimen est inter hydrometram et asciten perspicuum. Illi enim morbo omnia fere, quae graviditatem comitantur, indicia, praeter mammarum affectionem, quae non firmae sed laxae admodum sunt; papillae mammarum, ut ab Hippocrate observatum est, erectae sunt, os uteri minus et angustius*.

Tympanites, qui morbus minime saepe occurrit, cum ascite perperam quandoque fuit confusa. Quo tempore adest tympanites, abdominis latera comprimuntur, parte anteriore turgente, nulla percipitur fluctuatio, abdomen impulsu, perinde ut tympanum parum constrictum, sonat. His quoque accedunt umbilici lumborumque dolores, tormina, quae omnia levat ventus emissus.

Dr

* Van Swieten, vol. 4.

Dr Monro, fuis in praelectionibus magnopere laudandis, pinguedinem, circa abdomen magis solito auctam, pro ascite semel sumptam, refert; quem errorem, eodem monente viro egregio, fugiemus, ratione situs umbilici habita, qui obefis contractus videtur.

CAUSA PROPRIA.

Fluidi serosi aut cujusvis aquosi effusio aucta, vel absorptio diminuta in abdominis cavo, causa est ascitis.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Hae dividi in tres possunt.

Primo, fluidi impediti, quo minus ad dextrum cordis ventriculum commode redeant.

2do, Quodvis in abdominis cavo vas ruptum.

3tio,

3tio, Denique, totum ipsum systema, vasa praecipue exhalantia vel absorbentia facta debilia.

Cum ad multa quae sunt in thorace abdomineque viscera animum verterimus nostrum, asciten ex obstructione vasis cujusdam saepissime oriri arbitrabimur. Jecoris, lienis, renumve schirrum, polypum in cordis ventriculo dextro, valvulas ejus in ossa versas, affectionem quamvis pulmonum, qua fit, ut sanguis per eos minus commode transeat, hunc morbum frequenter induxisse constat. Haec, quaedam de lymphaticis prius compressa possunt impedire, quo minus fluida in chyli receptaculum influant; igiturque ora eorum bibula parum vel nihil ex superficie abdominis interna exhaurient; vel vena magna compressa, quo in extremis rubrorum vavorum partibus major fluidorum copia accumulabitur, magis effundentur fluidi aquosi. Experimenta, quae fecit Lower, magnam venam impeditam ad asciten inducendum valere, satis probant. Ille “ perforato dextro latere thoracis
 “ canis venam cavam vinculo strinxit: Dein re-
 “ laxato pectore vulnus confuit. Peracto autem
 “ experimento, canis mox oblanguebat, et intra
 B “ paucas

“ paucas horas expirabat. In dissecto abdomine,
 “ magna feri quantitas innatare conspiciebatur,
 “ non aliter quam si ascite diu laborasset *.”

Quam diximus sententiam de lienis schirro, quod refert Dr Donaldus Monro de quodam in Flandria militante, firmatam reddit. Illi homini febre quartana laboranti tumor fuit sub costis in latere sinistro, et haud ita multo post totum intumuit abdomen. In Scotiam profectus, Edinburgi in nosocomium receptus est, ubi vita excessit. Secto cadavere, magna aquae in abdomine copia, lienisque schirrus, cui adhaerebant facculae duae, quinque vel sex aquae uncias continentes, reperta sunt; aquae et sacculorum pondus centum viginti uncias aequabat †.

Van Swieten quoque, asciten ex omento in tumorem steatomosum, pondere triginta trium unciarum distento, accidisse, affirmat.

2do, Causa ascitis secunda, quoddam nempe
 vas

* Lower de Corde.

† Monro on dropsy.

vas in abdomine ruptum, raro admodum occurrit.

Pauca proferunt scriptores exempla vasis magna ex corporis luctatione rupti. A Doctore Morton de puero accipimus, quem annum secundum agentem, multisque malis anni tempore oppressum, tumor abdominis hydropicus invadit. Totum corpus praeter faciem, qui floridum retinebat colorem, macie confectum fuit; cibum usque ad supremum diem appetebat. Antequam mortuus est, operationem paracenteseos subibat; emissique erant complures sextarii chyli lactei dulcisque, qualis in ductu chylifero reperiatur. Inciso cadavere, magnus numerus glandularum durarum, post arteriam asperam positurum, figura non ita parva, quae ductum thoracicum ita presserunt, ut impossibile esset, chylum in venam subclaviam influere, inventus est.

3tio, Cum totum systema, praecipueque cum vasa absorbentia vel exhalantia, sint debilia, quam causam ascitis diximus tertiam, hunc morbum saepissime oriri, persuasum habemus; quippe qui senescentibus, vel quibus est malus corporis habitus, tam saepe adfit. Hac debilitate, in his partibus

partibus extremis, ita praevalente, augentur earum diametri, eoque magis, quo plus est debilitatis. Hinc itaque sine ulla magna vi a tergo, sine magno vasorum impetu, eorum ob atoniam, plus multo fluidi serosi secreti in cavum proximum ductibus ejicitur excretoriis. Fluidi serosi secretio aucta, ex rubrorum vasorum inertia, eorumque in sanguinem actione imperfecta, oritur. Ex quo accidit, ut partes heterogeneae, quae summam istius fluidi commixti faciunt aggregatam, minus agitentur, minusque diffundantur. Igiturque, pars aquosa parti viscidae disjuncta in prima vasa excretoria, quae ad eam recipiendam sunt apta, se recipit. Interea, dum exhalatio hoc modo augetur, absorptio, vasis lymphaticis se ita ut vasa exhalantia habentibus, diminuitur. Qua relaxata parte, hoc facile concipere possumus, ut, quo plus est vasis lymphaticis atoniae, eo minus fuerit absorptionis. Absorptio enim, quantum ab attractione capillari illam pendere putemus, erit perinde ut diametri vasorum, in quae influant, fluida absorpta, contractae parvaeque fuerint; per hanc autem atoniam, vasis lymphaticis, praecipueque extremis vasis absorbentibus diametri amplae admodum et flaccidae redduntur, igiturque at-

trac-

tractionem capillarem habere nequeunt. Atoniam etiam, quantum a vasorum actione pendeat, attractione capillari submota, absorptioni impedimento fore, haud minus constat. Ex absorptione diminuta, et exhalatione aucta, fluida aquosa serosaque, mediis in cavis, accumuluntur, necesse est.

Hujus relaxationis atoniaeque, cum multa alia, tum haec causae sunt habenda; calor nempe ingens, potus aquosi, magna praesertim in copia, liquores spirituosus plus nimio, adhibita, sanguinis, ista qua alitur materia deficiente, penuria, exercitatio nulla, vel nimia, evacuationes immodicae, frigus, cui potissimum si adfit humiditas; quae omnia, frigusque, imprimis et aqua, ad istam, quam lassitudo aestusque effecerint sitem compescendam, large ingurgitata, ad *litum* hydropem inducendum magnopere conferre videntur.

Liquores spirituosus diu epoti totum debilitant corpus, vasorum vim corrumpendo, eaque, ne ad propria fungenda munera sint apta, efficienda; inde sequitur diathesis hydropica, quae aliquando asciten adfert. Observat Sydenhamus,
 “ biba-

“bibaciffimos quosque helluones faepius hoc
 “morbo, quam caeteros mortales, conflictari.”

Exempla funt multa, victum tenuem et aquo-
 sum asciten intuliffe. Qua de caufa, pauperes
 huic morbo maxime funt obnoxii, quippe qui
 vegetabilibus farinaceisque plerumque vefcan-
 tur.

Exercitatio cum nulla, tum nimia, aequè
 ad hydropem inducendum, vafa relaxando,
 conferunt. Illi enim, qui fere femper fedet,
 haud fatis agitur fyftema, quod fuam vim
 retineat; circuitus fluidorum languidus fit,
 vafa denique fua munera obire nequeunt. Idem
 efficit nimia exercitatio, vaforum potestate a-
 gendi gradatim diminuta, prout excitantur, do-
 nec vis eorum adeo fuerit diminuta, ut ad ab-
 forbendum parum evadunt idonea.

Evacuationes immodicae.—Hydropem faepiffi-
 me oriri ex magnis evacuationibus, praecipue ex
 haemorrhagiis, quae plus quam ullae aliae eva-
 cuationes, brevi tempore, aegrotum debilitant,
 ex medicis annalibus conftat.

Quem.

Quemadmodum frigus hydropem inducat, haud mihi in promptu esse videtur. An, vasis corporis externis vel ventriculi a frigore contractis, fluida ad abdominis cavum propellantur; an corporis calore, per id, imminuto, stimuloque exinde caloris, aliqua ex parte, vasis adempto, ea relaxata debiliaque frigus reddat, eoque morbum hydropicum inducat modo, pro certo affirmare nequeo. Multa vero quae tum accepi, cum ipse, quibusdam adolescentibus adjunctus ingeniosissimis, ut, quid frigus in corpus humanum efficere posset, me certiores facerem, experimenta institui, hanc potius, quam illam opinionem, me sequi inclinant.

Si quis manus suas in aquam gelidam immerferit, quod omnes cum experiri tum intelligere possunt, eas intumescere sentiet.

Amicus mihi Dr Wistar Philadelphienfis, ad pulsum arteriarum, quemadmodum se haberet, animo prius verso, quam ad pontem Edinburgensem se reciperet, cum ad columnas pervenit, vento saeviente, facies rubicunda, pulsusque arteriarum perdebiles fiebant. Quodam alio tempore, multa glacie ad faciem admota, rubuit

it valde, et intumuit, quae igni admota, pallida cito evasit.

Refert Dom. Marcellini Berolinensis, sibi quondam in Prussia, aliquot ante annis, cum frigus, totam fere noctem, subiret ingens, adeo intumuisse crura, ut ocreas, quibus tunc indutus est, prius esset incidendum, quam eas detrahere posset; sanguinemque supra femora effudisse.

Hoc quoque experimentum, in balneo Nosocomii Ebinburgensis hoc anno perfectum, corpora, frigore admoto, tumescere docet. Die 6. kal. Mart.; hora dimidia post sextam horam P. M. Dr M'Moran, brachio prius ligato, in balneum, cui erat 62 † gr. temperamentum, descendebat: Temperamento haud ita multo post ad gr. 54 diminuto, nullus in ulla arteria pulsus percipi potuit. 20 minutis post horam septimam, cutis ejus magis rubicunda, ligamentumque constrictius quam antea evasit. Urinam reddidit in balneo, quamvis ante reddendam curaverat, quam descenderat. Hora 8va temperamentum erat ad gr. 53. Auctum deinde paulatim

† Scalae Farenheit.

latum fuit ad gr. 80; ligamentum tunc, quod, cum frigus esset summum, altum in brachio fulcum, non sine quodam dolore, fecerat, laxari manifeste constabat. Post horam 8vam 35 minutis exactis, balnei temperamentum erat 97 gr. eo-que tempore ligamentum multo magis laxatum est, quam ubi primum ligatum fuerat. Cutis, coloris, antea rubicundi, nunc speciem albam eximie, nitidamque exhibuit.

Experimentum quod ego, Doctor M'Donnell et Dom. Throckmorton, optimae spei adolescentes, in colle ad Edinburgum, qui vulgo dicitur *Arthur's Seat*, proximis nonis Januariis, cum aëris temperamentum esset ad gr. 32, nudati instituímus, hanc mihi non parum confirmat opinionem. Multis, utpote alienis, omissis, ea tantum referam, quae ad rem nostram spectant. Observavimus, quo longius frigori expositi eramus, eo frequentiores pulsus arteriarum esse; gradatim autem debiliores, donec in arteriis brachii totius percipi non poterant. Dr M'Donnell, qui supra nivem incumbibat, adeo fuit debilis, ut, nisi adjutus, exsurgere nequiret. Quaecunque pars corporum nostrorum glaciem tetigit, ea tumescere semper et rubescere, eodem tem-

pore pulsus perdebilis fiebat. Tumor ruborque paulatim crescebant, donec finem experimento, vestimentis indutis, imposuimus. Glans mei penis adeo intumerat, ut supra illam praeputium aegre retrahere, nec ea, qua solitus eram, vi, urinam ejicere possem. Penis quoque Doctoris M'Donnell magno tumore affectus erat.

His rebus rite perpenſis, nonne poſſibile videtur, vasis cum exhalantibus tum abſorbentibus, iisque praecipue, quae in abdomine ſunt, aliis magis partibus, prius debilitatis exercitatione nimia, vel quavis alia, quae debilitat, re, tunc ingente admoto corpori frigore, majorem fore relaxationem atoniamque, adeoque ut effuſio produci poſſit?

Aquae magna copia inhauſta, quem diximus effectum, niſi ſyſtemate prius debilitato, neutiquam edet. Corpore enim valente, aqua epota, niſi quae parva admodum pars cum aliis ſanguinis partibus miſcetur, per vaſa omnia rapta, aquoſis excretoriis ejicitur.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Ut ab variis istis, quibus inducatur hydrops, omnibus multum functionibus animalibus, sic visceribus chylopoeticis, ante omnia nocetur. Qui in ventriculum assumitur cibus, haud id praebet nutrimenti, quod ad actionem systematis vascularis sustinendam sufficiat; quod igitur systema, ad ea, quae continet, corporis superficiem versus propellanda, minus valet. Fluida quoque varia non adeo secernuntur copiose, neque adeo possident vim stimulatricem, ac, ad ventriculum et intestina excitanda, necesse est. Hinc pallor, nulla cibi appetentia, alvus adstricta.

Si qua in parte secretio augeatur, aliis in partibus diminuitur, quod utique cutem aridam, copiam urinae parvam, sitimque efficere potest. Prope finem morbi, urina forsan fit parca, quo quidem tempore est perexigua, quia aqua in renes premat. Quae opinio vera esse videtur, quia

quia post operationem paracenteseos factam urina aliquando magnopere augetur.

Dyspnoea.—Abdomine aqua distento, diaphragma, cum inspiratio fit, minus commode descendet; qua de causa magis difficile dilatantur pulmones. Quaeratur autem, si haec sit causa dyspnoeae hydropicis, cur non se tamdiu ostendat, quamdiu adfit distentio? qui enim hydrope, non perpetua, sed intermissa dyspnoea, laborat.

Tumor crurum atque femorum.—Cum abdomen aqua impleri coepit, tumor in regione epigastrica primum percipitur, quo multum ingravescente, comprimuntur partes regionis inferioris venaeque iliacae, unde tumor femorum crurumque oritur. Qui diurno ingravescit tempore, levior autem, noctu, fit, quum sanguis venarum, recumbente aegrotto, magis facile ascendat.

Dolores epigastricae regionis.—Fluidum prope finem morbi expromitur, adeo acre, ut febrem putridam, pustulasque, in quas inciderit partes, nonnunquam intulerit*. Horum

* Phil. Transact. No. 454. Sect. 4.

rum igitur causae sunt dolorum fluidum hoc acre, saepiusque partes, quae illud continent, maxime distendunt. Adeo, quandoque distenduntur partes, ut ruptura umbilici, quae pars totius abdominis superficiei infirmissima est, eveniat.

PROGNOSIS.

Prognosis ita erit, quemadmodum causas morbi compertas habuerimus. Si causae sunt topicae, huic plerumque morbo, his saltem, quae adhuc in usu sunt, remediis, nequicquam obviam itur, minimeque saepe penitus fugatur. Si ab affectione universali oriatur, si aegrotus parum proventus sit aetate, si corporis status haud multum afficiatur, nec magna copia effundatur aqua, felicem fas est sperare exitum. Sin autem omnia haec longe aliter eveniunt, si insuper accedat tussis sicca, anasarca; si postquam aqua emissa fuerit, rursus repente colligatur, vel emissa, foede oleat, nil sit reliqui misero aegrotto, nisi aerumna ineluctabilis, certaue mortis expectatio.

METHODUS MEDENDI.

Duplex est in hoc morbo curationis consilium.

Primo, aquam auferre ; deinde, ne redeat prohibere.

Primum consilium remediis, vel interne vel externe adhibitis, perfici potest.

Ea sunt interna remedia, quae absorptionem efficiant vasa excitando absorbentia, quo ad sua propria munera obeunda magis valeant ; ut emetica, cathartica, diuretica, et diaphoretica.

Remedio externo, aquam extemplo parti affectae demovemus ; quod fit operatione paracenteseos.

in a Emetica.—Proxyma hyeme, emetica, auctore illustrissimo Gregorio, qui apud aegros in No-
foco-

focomio decumbentes quam felicissime versaba-
 tur, cum maximo cujusdam M'Beth commodo,
 erant adhibita. Hunc hominem septimam jam
 hebdomadam hydrops tenebat; omne adhuc re-
 medium inane redierat; vires multum affectae;
 pulsus perdebilis; dyspnoea molestissima. Die
 7. kal. Maias emeticus tartarus praescriptus,
 prospere respondit; magnamque rei cujusdam
 viscidae et amarae massam evomit. Spiratio
 tunc, vultus, vox, pulsus, meliuscule se habere.
 Emeticus tartarus iterum vespere adhibitus, ma-
 jore etiam cum fructu. Die 6. emeticum ex
 vitrioli albi semidrachma praecipitum est, quod *proser*
 vomitionem tantum semel concitavit. 5. idem
 emeticum, dose autem ad drachmam aucta, se-
 mel ut antea vomitionem, sed copiosam, excita-
 vit. Tormina deinde gravia, quinque et tenu-
 es admodum alvi dejectiones; urina ex una ad
 duas libras aucta, minor multo abdominis tu-
 mor; et reliqua mala maxime erant levata. Ad
 kal. Maias urinae decem libras reddebat; tu-
 morque vix percipi potuit.

Emetica ad absorptionem efficiendam valere,
 usus tum multorum qui medicinam faciunt, cum
 praecipue Dom. Joannis Hunter docet. Dom.
 Hunter

Hunter rem quidem mirandam narrat, bubonem, qui tam vere fuerat suppuratus, ut illum jam incifurus effet, ex trium vel quatuor dierum nausea marina penitus absorptum fuisse. Qua inductus re, emetica multis in similibus casibus, non minus feliciter adhibenda, jussit *.

Cum primum aegrotum curandum accipimus, nisi multum debilitetur, catharticis feliciter admodum uti licet.

Cathartica debent esse draastica, ut elaterium, gambogium, fol. digital. &c. nec multum intermittatur temporis, quin adhibeantur. Si haec medicamenta aliquamdiu exhibita nullo fuerint tumori levamento, viresque multum fuerint affectae, ad diuretica et diaphoretica confugiendum est. Omni morbi tempore, omnique medicamento accedant, utpote ipsa praestantissima, cibus nutriens, idque exercitationis, quod vires aegroti ad subeundum, sufficiant.

Diuretica. Hujus magnae medicamentorum classis nulla sunt, quin, alia, alio tempore, profuerint.

Quoniam

* Hunter's MSS. praelect.

Quoniam omnia recensere longius esset, ea tantum, quae maximi habentur, recensebo, ut cantharides, scillam, baccas juniperi, chrystallos tartari, et opium.

Cantharides. Non multi sunt qui cantharides laudant, quippe quarum in vesicae cervicem effectus nimis sint vehementes. Quod incommodum haud adfert parva dosis, cum qua incipere licet. Pilula grani unius cantharidum cum camphorae duobus granis effectus nonnunquam magnos bonos edidit.

Scilla.—Multi scillae praeparationes malunt, quibus si juncta fuerit aqua cinnamoni, vel quaevis alia aromatica, ista nausea, quam saepe adfert scilla, auferetur. Oxymelitis drachma una, tertia vel quarta quaque hora, vel scillae forma ficci pulveris, unum granum mane et vespere quotidie, quam dosin augeas, donec diureticum effectum, vel nauseam ediderit, maxime sunt utilia.

Infusio baccarum juniperi fortis, in vino potissimum, ad asciten tollendum, saepenumero valet. Juniperi baccarum oleum, in quadam
D forma

forma grata, dosi 40 vel 50 gut. exhibitum, aliquando proderit.

Chrystalli tartari multos jam annos in usu sunt. Drachma una pro dosi tertia vel quarta quaque hora adhiberi debet. Tum maxime profunt, cum simul magnam bibat aquae copiam aegrotus.

Diaphoretica.—Hujus classis maxime laudantur antimonii praeparationes cum liq. laud. conjunctae. Pulveresque Doveri quoque usurpantur. De his in Nosocomio Edinensi observatur pulveribus, multo magis profuturos, mercurio ita prius adhibito, ut os leni ptyalismo afficiatur.

Quibus perspiratur vasa, abdomine verriculo fricto, optime concitari possunt.

Magna per se opii dosis, aliis omnibus nequicquam adhibitis, non semel asciten fugavit. Sed pro ea, quae nunc vulgo obtinet de hoc remedio, argumentatione, nulla fas est sperare experimenta, quae litem dirimant, nosque illud in hoc morbo vel ex toto laudare, vel prorsus rejicere inducant.

Documenta ejus utilitatis sunt plurima. Quorum duo tantum, quae prae aliis notatu digna videntur, hic proferam. Generosum quendam, quem dolores nocturni, ex lue venerea male curata orientes, vexabant; quosque ad tollendos nihil nisi liq. laud. uti voluit, in hydropem tandem universalem incidere accidit. Utpote qui a medicamentis abhorreret, medicum Willis arcessitum consuluit, an liq. laudano, ad dolorem solummodo fugandum, uti liceret. Quod, quibusdam rite monitis, medicus non recusavit; abiitque eum paucis post diebus moriturum ratus. Ægrotus extemplo magnam liq. laudani dosin assumpsit; dosi quotidie usque aucta, ad copiam pene incredibilem. Vix dum elapsus esset mensis, cum omnes tumores hydropici, omnesque nocturni dolores discesserant; bona erat cibi appetentia, forasque prodire valebat. Opium, ut copiose, noctu, sudorem emitteret, magnamque urinae redderet copiam, effecerat*. Mariae Godfrey, quod in medicis observationibus videre licet, Anno Domini 1766 cum annum aetatis ageret quadragesimum, febris intermittens erat; fluxus menstrui impediti, et anno prope
jam

* Willis phar. ration. p. 1. sect. 7. chap. 1.

jam exacto, abdomen, mirum in modum, intumuit. Bis operationem perpeſſa; totiesque re-
diit tumor; ex quo evenit, ut, magno affecta
dolore, opii parvas doſes fumeret. Semi drach-
ma opii in ſpiritu *gin* infuſa erat, cujus ſemel
vel bis in die parvum aſſumebat cochleare.
Quod cum adhiberet, dolor ejus minutus, uri-
na majore in copia emiſſa, tumorque cito mul-
to minor fuit. Ex quo tempore, quamdiu opi-
um fumeret, mali fuit expers; medicamento
autem intermiſſo, dolor tumorque paulatim re-
dierunt; ſimul atque vero ad opium rurfus con-
fugerat, tumor abdominis abiit; et urina copi-
oſe reddita fuit *.

Mercurius, multis in caſibus abſorptionem op-
time fecit; parvis debet aſſumi doſibus, donec
ſalivationem leniter moverit, ſaepe cum ſcilla
jungitur. A frigore inter mercurii uſum mag-
nopere cavendum eſt aegroto.

Cum his remediis hydrops obſtat, cum auge-
tur tumor, imminetque ſuffocatio, nulla ſit, ne
puncti

* Med. Obſerv. and Enquir. by a Society of Phy-
ſicians at London, vol. 6. p. 19.

puncti quidem temporis, mora, quin paracente-
feos operationem faciamus.

De operationis, ineunte morbo, utilitate mul-
tum fuit jactatum. Dr Fothergil *, operationem
prius facere, quam multum processerit morbus,
magnopere hortatur; multaque commoda inde
accipienda profert; quod si factum fuerit, viscera
ne afficiantur, quod saepe fit, longum manente
aqua, prohibere poterimus. Multi autem sunt
medici, quibus non placet matura operatio. O-
peratione, utpote perfacili, hydrope incipiente;
praecipueque malo, post ista adhibita, quae jam
recensuimus remedia, haud diminuto, saepius
utamur oportet. Inter operationem, postque
eam factam, quo voluit Dr Monro, qui nuper
decessit, cingulo indui aegrotus, cardiacisque u-
ti debet.

2do, Consilium nostrum secundum, aquae
nempe reditum prohibere, morbo a debilitate
oriante, quacunque re corpus roboratur, perfici
potest. Peruvianum itaque corticem, praepa-
rata

* Med. Observ. and Enquir. by a Society of Physi-
cians in London, vol. 4.

rata ferri, vinum generosum, tantumque eorum, quae nutriunt, quantum cum commodo suo fieri potest, fumat aegrotus. Si carne vesci minus potest, magnam jusculi copiam, ex bubula, vitulina, vel carne pullina laute confecti, capere debet. Prout vires redeant, carne utatur. Omni labore est interdicens; gestatio autem primum, dein modica exercitatio, quippe quibus vires reficiantur, magnopere laudanda. Utque frigus, praecipue si adsit humor, imprimis ad hydropem inducendum valet, sic locum habere apricum aridumque, convalescentis maxime refert.

Cum morbus ex reditu sanguinis ad dextrum cordis ventriculum impedito nascitur, causae hujus mali propriae tam multae sunt, tamque profunde positae, ut illas saepe nequicquam investigemus. Multi sunt scriptores, qui asciten, ex causa topica ortam, schirro praecipueque jecoris, quippe quod, cadavere inciso, affectum reperiatur, quod tamen effectus potius, quam causa nonnunquam potest esse, tribuunt.

Ne redeat effusio hydropica, schirrum aliasve obstructions tollamus, necesse est; ad quod efficiendum

ficiendum pauci vero aggrediuntur. Mercurio et cicuta multi utuntur ; exempla autem, quibus profuerunt, non sunt tam multa, quae nos illis confidere inducant. Tali in casu, nihil ego moliri vellem, nisi ut, fluida corporis superficiem versus inclinando, effusionem, ne magno-
pere augeatur, prohiberem. Quam ob causam, primum vestimenta calida induenda, et indusium laneum cuti proximum, die quoque quinto vel sexto mutandum, et modicam equitationem adhibendam vellem. Crescente aqua, ad ea, quae consilio nostro primo scripsimus remedia, confugiendum est.

Nusquam, quantum ego scio, memoriae traditur, aliquem, hydrope, quam ruptum quoddam vas magnum induxerat, laborantem, convaluisse. In hoc malum, quod rarissime quidem occurrit, nil valet ars humana.

F I N I S.

DE ASSOCIATION

Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the

of the Association of the Friends of the